

**1998-07-30- SS Ioannes Paulus II - Epistola ‘Fratri Nostro Francisco Cardinali Kuharic’**

LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II ALL’EM.MO CARD. FRANJO KUHARIC SUO INVIATO SPECIALE  
ALLE CELEBRAZIONI DEL 7° CENTENARIO DELLA DIOCESI DI ŠIBENIK (CROAZIA) (29  
SETTEMBRE 1998)

Venerabili Fratri Nostro FRANCISCO S.R.E. Cardinali KUHARIC Archiepiscopo olim Zagrebiensi  
Cum non pauca adhuc nec parva reddiderimus singularis cuiusdam benevolentiae testimonia erga nationem  
catholicamque communitatem Croatiae, libenter idcirco participes Nos esse volumus tam salutatione Nostra ac  
Benedictione quam cohortatione ac laudatione celebrationum illic maioris momenti ecclesialium tum etiam  
civilium.

Perplacuit itaque magnopere Nobis consilia illa ac sollemnia cognoscere quibus perantiqua dioecesis  
Sebenicensis suum mox commemorabit septingentesimum natalem, nempe septingentesimum vitae opera eque  
feliciter completum annum, ex quo Decessor Noster Bonifatius VIII providentissima mente excitavit dicionem  
novam eiusdem nominis Kalendis Maiis anno millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

Praeteritam sic historiam repetentes suam et gloriam superioribus hisce novem annis Pastor ipse et grex  
Sebenicensis quam aptissime ad aliud percurrentum sese praeparaverunt saeculum, at praesertim ad tertium  
ingrediendum fidei christianaee millennium. Quae videlicet praeparatio proximi mensis Septembribus undetreesimo  
die cumulabitur ac veluti nobiliore coronabitur serto renovationis spiritalis.

Ne quidquam vero huic celebrati desit et ut persona Nostra certo quodam modo ibidem adsit, hisce temet  
ipsum, Venerabilis Frater Noster, Litteris destinamus Missum Extraordinarium Nostrum Sebenicenses ad ritus  
quibus septingentesima illa absolvetur commemoratio. Pro Nobis adstabis igitur et omnes Nostra quasi voce  
adstantes salutabis; ad Nostri animi sententiam priora illius communitatis collaudabis merita ad novaque et  
maiora etiam catholicae industriae opera incitabis clerum ac populum omnem. Eos tum postremo Apostolica  
Benedictione Nostra recreabis et confirmabis in laudabilibus eorum propositis in posteros annos.

Gratum denique animum Nostrum hoc de officio tibi, Venerabilis Frater Noster, testamur plurimamque simul, ut  
totiens antehac, benignitatem.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXX mensis Iulii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

IOANNES PAULUS II